
AD SERENISSIMAM


CHRISTINAM LOTHARINGIAM MEDICES

Æthruriæ Magnam Ducissam.

MATTHAEI VENTVRII A CIVITATE Burgi Sancti Sepulcri de Diua Christina Carmen.







FLORENTIAE, 1617.

Apud Cosmum Iunctam, Superiorum permissu.

SERENISS. CHRISTINAE
Lotharingiæ Medices, &c.

MATTHAEVS VENTVRIVS.



OGITANTI mihi Virago Sereniss. quid tui in me beneficij testimonium ad te mitterẽ; in memoriam venit Virgo illa Christiná, cuius nomine insignita es, & sanctitatis Aemula, quod ad tuum palatum spero futurum, noui enim animum semper ad pietatem pronum, quem si tueris hęc dum legis iure illud mihi attribuam Horatij

Uno minor Joue, Diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Aspiciat te qui cuncta inenarrabili bonitate producit, vt in sua voluntate acquiescas eximium sęculi nostri ornamentum. Vale.
Florentiæ Calendis Octobris 1617.

SERENISS. CHRISTINAE MEDICES.

Nostra tibi Christina dico dum Carmina parum est
Nostraq; dum dicis Christinæ Carmina magnum est.

HORTATVR MVSAS AD DIVÆ CHRISTINAE LAVDES.

NYMPHAE quas tenui frigore sospitat
Parnasi crepitans vmbra biuerticis,
Queis grato suadet murmure blãdulos
Sopores Aganippe;
Illic qua vitreus serpere pertinax
Clamoso trepidat riuus anhelitu,
Et qua conqueritur perpetuos fugax
Semper Lympha labores;
Illic qua nitidæ Daphnidis innubæ
Vmbras assiduas consociant comæ,
Illic qua tremulas ludit aquas vago
Lenis Aura susurro,
O partem libeat carpere de die
Et mecum teneram dicere Virginem,
Christinam, rabiem vincere nobilem
Et fastidia Patris;
Multum passa animam quo sibi creditam
Humani moriens prodiga sanguinis
Et confessa Dei tergeminum Caput
Cælo reddidit alto:
Et tu quæ Calamus nunc meditabitur
Felix accipies Semideum Parens
Christina, eximiæ Virginis Aemula
Christinæ pietatis.

IN DIVAM CHRISTINAM Massaram Carmen.

Calliope.

QVI siccis oculis Prandia Tereos,
Et qui Learcum, siue Agamemnonis
Vidit Penates, parŭaque viscera
Mugire sensit Tantalidum Veru,
Fuit sæuior Hidra;
At siccis oculis sanguine qui tuo
Christinæ vidit te vndique sordidam,
At qui calenti fornice Virginem
Te vidit eheu non ne fuit ferus
Nonne ferreus ille?
Matris cadentem protinus Alueo
Te prima cœpit Tesiphone sinu
Quæ te furentem sæuitiam docet
Vrbane dira Tigride tristior
Et immanior Angues.
Cur Gnatam properas improbe perdere?
Idola fregit scilicet aurea
Idola spreuit callidus inquies;
Spreuit? meretur sydera, qui colit
Nigri Tartara Ditis.


CLIO.

VLtro quod Pœnos maluit redire
Vrbe quam solus Domina morari,
Vsque letheas metuet subire
Regulus vndas.
Casta quod mortem maluisti adire
Virgo, quam Phœbo facere, & Dianæ
Emicas inter veluti minores
Lilia Flores:
Dum modum quærit truculentus iræ
Et furori ponier impotenti
Præparat crudus Populo Tirannus
Funera mille;
Flamma Christinam fugitiua nescit
Tangere, & preceps ruit in dolosi
Militem Patris, Populumque dirum
Mobilis vrit;
Sic Deo visum cui nil secundum,
Qui Mare & Terras regit & creauit
Qui dedit Phœbo radios, & altæ
Cornua Lunæ



EVTERPE.


FLauo depositum Tybride Romulum
Lethi subripuit faucibus inuidi
Pastor incola mortis
Misertus generis feræ:
Est dura asperius cernere quid Lupa?
Proiectumque aluit dira tamen Lupa,
Dat quem Patruus Orco
Pastor & Lupa subtrahit:
At Christina tui quis miserebitur,
Presens subsidio quis miserę tibi?
Durus dum caput vndis
Submersum lapis obruet;
Infelix bipedum non Hominum genus,
Et fluctus vitio te arriperent Patris;
At Cœlo abnuit alto
Qui cuncta imperio regit,
Qui cuncta imperio temperat, abnuit,
Et defendit Aquas semper amabilis.
Sic dilecta Triformi
Virgo non cecidit Deo.



Vde

MELPOMENE.


VDe superus Terræ Dominus
Ubi quis scelerum superare modum
Quærit, dignas concipit iras
Fulmina librans iracunda,
Quæ clementem iustumque docent:
Rabie immodicus satis Urbane
Debacchatus, satis errasti,
Jam quæ passa est Christina grauem
Mouere Dei sthomacum, qui nunc
Conscius altæ vindicis iræ
Flammis moreris tempestiuus:
Tamen immeritæ Virginis atrox
Pæna manet adhuc non exacta;
Ferrea iussu Cuna Dionis
Te Diua suo recipit gremio
Ehu multo dum feruet Oliuo;
At proh Cælum munita Crucis
Signo calidum subtrahis igni
Et flammæ vis frustrata cadit;
Sic æterno confisa Deo.
Ludis flammas atque Tirannos.



Principis

TERPSICORE.

PRincipis Oematij, si vera est fama super stes,
Cynthius aduentu sudauit
Illius impatiens meritas exurgere laudes,
Extensus cui defuit Orbis;
Cœlestique manent gliscentes mente repostæ
Inuidiæ? proh dedecus æui;
Cymmerijs cęcos tenebris quin altius inquam
Mortales heu caligare,
Quem lętis æger liuor detractat, & vrunt
Inuidiæ stimuli venerantur:
Virginis aduentu Christinæ pronus Apollo
Non sudat, sed voluitur in caput,
Et bene, nam decuit genubus procũbere Phębum
Submissis & non Christinam;
Non fugit hanc solio nixus quis turbine Cęlum
Verset, quis Pater & Deus omnium,
Non facilè hanc falsa deludere imagine, stultos
Quos latet ipse Deus fallunt hac;
Hæc negat, ille nequit, cupis hanc, facit ille
Christinæ (mirum) posito genu.



CARMEN.

ERATO.


FESTO dum rabidi cruore Tauri
Soractis nemus iugo cubantis
Placatur Populo Deus frequenti
Flagrantes super Hirpæ tenere
Prunas tutum iter ac redire possint;
Christinæ tamen Hirpiæ nocentes
Compararier auferint pudicæ?
Quam testudine Sol videns rubenti
Fudit Cæsarie dies serena
Quot dextra digitos habet potenti:
Dum fæcunda nimis paritq;, alitq;
Fornax sulphureos profunda montes,
Et vis ignea sæuiens vagatur,
Attollens oculos manusque Celo
Ore carmina tinnulo sacratæ
In te multa, canit, Triforme Numen;
Flammæ nescia quid queant rapaces
Te natum canit, & canit sepultum,
Dum nos plus oculis tuis amasti,
Quæ te plus oculis suis amauit.



Luctantium

TALIA.

PSyllus præbuit Hexagon
Romano noua Consuli,
Illum dum Colubri cauo
Dolio accipiunt truces;
At miracula Virginis
Auditu mage digna sunt,
Hanc vt impius accipit
Carcer, plenus & Anguium
Tunc se colligit implicans
In spiras mala vipera
Tunc ponit Draco sibila
Ponunt sæuitiam Aspides;
Et olli sinuans Hydrus
Membra se cicur in sua
Blanditur fremitu leui:
Cui non cæruleum nocent,
Proh fidem, genus Anguium,
Cui non flamma nocet vorax,
Cui non præcipites Aquæ,
Gens humana nocet, Feris
Quantum immane ferocior.



POLYHYMNIA.

LVctantem Tereus loqui
Nequicquam ismariæ Pellicis abstulit
Linguam post miserum scelus,
Si clamat facinus dum tacet improbum;
Os mutum caret indice
Tam diri sceleris, sed tamen impios
Prodit concubitus sagax
Tela purpureis ingenium notis;
Nequicquam ferus abscidit
Luctantem Domino dicere Barbarus
Linguam Virginis integræ
Laudes, & sonitu carmina blandulo;
Lingua nam docuit sine
Laudes ingenium psallere Virginem:
Quamuis ante pedes, velut
Abscisus coluber semianimis salit,
Lingua euulsa micet solo
Te Christina Hominem concinit, & Deum,
Mulcens sydera cantico
Dicit te Dominum teque vocat Patrem.



Ruben-

VRANIA

RVbentis Pater Aetheris,
Mundi conditor optime,
Legem sydera qui pati
Cogis arbiter omnium;
Christinam gremio pius
Nunc tandem excipe Virginem,
Multum passa animam tibi
Quæ iam reddidit auream,
Quæ confixa volucribus
Sagittis cecidit solo:
Sed quæ, quæ facies noua
Rerum; & vnde venit nitens
Fulgor; Panditur arduus
Aether, quo leuis aduolat
Christina vndique candida:
I Virgo, pete fulgida
Cæli culmina lucidi
Et nostri memor aspice
Christinam grauidam caput
Curis, quod grauis arripit
Filium mala febrium
Cohors, atque domestica.

FINIS